

DIE III. NOVEMBRIS (NISI FERIA II. FUERIT).

B. SIMONIS BALLACCHII CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

¶ Si Festum B. Simonis non fuerit transferendum, die ij. Novembris Antiphona super Psalmos et Psalmi erunt ut in secundis Vesperis Omnia Sanctorum; Capitulum vero et reliqua erunt de B. Simone cum Memoria Octavæ.  
Oratio.

**D**EUS, qui beatum Simónem Confessorem tuum, inter céteras ejus virtutes, jugi orandi studio et singulári humilitatis prærogativa decorasti & ipsum nobis imitari concéde: ut, spretis omnibus quae sunt mundi, te hic solum quærere & ac tandem promissa in cælis humilibus præmia consequi valeamus: Per.

DIE IV. NOVEMBRIS.

S. CAROLI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

DUPLEX.

¶ Si Festum S. Caroli in Feria iij. celebrandum occurrerit, die iij. Novembris Antiphona super Psalmos et Psalmi erunt ut in ij. Vesperis Omnia Sanctorum; Capitulum vero et reliqua erunt de S. Carolo cum Memoria Octavæ.  
Oratio.

**E**CCLESIAM tuam, Domine, sancti Cároli, Confessoris tui atque Pontificis, continua protectione custodi: ut, sicut illum pastoralis sollicitudo gloriósum effecit & ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes: Per.

DIE V. NOVEMBRIS.

B. MARTINI DE PORRES CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS humilium celsitudo, qui beatum Martínum, Confessorem tuum, ad cælestia regna transire fecisti: ejus meritis et intercessione, concéde nos ejus humilitatem ita imitari in terris & ut cum ipso exaltari mereamur in cælis: Per.